

Ob-12



Verzeichnis


der

Vorlesungen

am

Königlichen Lyceum Hosianum zu Braunsberg

im Winter-Semester 1908—1909.



Inhalt:

- I. Qua via ac ratione Clemens Alexandrinus ethnicos ad religionem christianam adducere studuerit.
Von Professor Dr. **A. Kranich.**
- II. Verzeichnis der Vorlesungen.
- III. Institute.



Braunsberg.

Heynes Buchdruckerei (G. Riebensahm).



1908.



Rektor vom 15. X. 1908 bis 15. X. 1911:

Dr. Victor Röhrich,

o. ö. Professor.



1943:203

Qua via ac ratione Clemens Alexandrinus ethnicos ad religionem christianam adducere studuerit.

Particula II.

Abhinc lustrum cum occasio prooemii Indicis Lectionum nostrarum scribendi mihi data esset, Clementem* Alexandrinum ad ethnicos imprimisque philosophos de religione christiana docendos duplex argumentationis genus i. e. negativum et positivum adhibere dixi et, quomodo prius in refutatione superstitionis ethnicorum adhibeat, exposui. Restat igitur, ut nunc, quomodo Clemens methodum positivam quae dicitur inierit vel qua ratione ethnicos doctrina christiana instituat atque imbuat eosque ad gratiam Baptismatis suscipiendam praeparet, videamus.

1. Deorum eorumque cultus inanitate perspecta, ut ethnici venerationem Dei unius et veri Creatoris Omnipotentis amplecterentur seseque ad meliores et in christianis effulgentes mores converterent, tum consequentia rei ipsius postulabat, tum Clemens maximam dabat operam. Qui tamen transitus ut ethnicis facilius redderetur, quid eorum philosophi de diis sentiant, quid conferant ad cognitionem Dei veri et unici, iis ante oculos ponebat; nam par videbatur, ut tamquam a suis praeceptoribus illis, quibus maxime confidebant, de existentia Dei, quatenus fieri posset, informarentur. Hac vero via ut Clemens progrediretur, etiam alia causa permotus est. Alexandriae enim, in emporio illo literarum atque artium celeberrimo non paucos invenit, qui ipsi multum diuque in philosophia Graecorum versati fallacibus argumentis adhibitis doctrinam christianam contemnerent et impugnarent. Cum vero Clemens salutem generis humani nulla alia in re positam esse nisi in nomine Jesu persuasum haberet, multum ejus intererat, ut quid apud philosophos de Deo inveniretur, recenseret ac statueret.

In universum si, quid in hoc genere Clemens doceat, cognoscere volumus, sufficiet afferre haec ejus verba, quae jam, priusquam de philosophia enucleate agat, scribit: ¹⁾ „Hic aberravit philosophorum chorus a veritate“ Et deinde ut, unde haurienda sit vera cognitio Dei, significet, haec dicit: ²⁾ „(quam ob rem) ei, qui ad portas salutis evadere cupit, unicum, ut videtur, perfrugium relinquatur divina sapientia.“

1) Cohortatio ad Gentes (Migne), p. 164: *Μόνη ἄρα, ὡς ἔοικεν καταφυγή τῶ μέλλοντι ἐπὶ τὰς σωτηρίους ἀφικνεῖσθαι θύρας ὑπολείπεται σοφία θεϊκή.*

2) Cohortatio ad Gentes, V, pag. 169.

Sed Clemens singulorum philosophorum libros perlustrans diversa systemata ac dogmata de diis eorumque cultu propagata distinguit, examinat, reprobatur necnon, si in iis quid verum est et confert ad Deum verum cognoscendum, id probat atque assumit.

Atque duplex quidem philosophorum ethnicorum Clemens statim ab initio disquisitionis suae secernit, quorum alterum, cum „vana de se persuasionem materiam in simulacra deorum verterit“, facile refelli neque vim habere declarat. Nonnullos eorum enumerat qui „fateantur, se Persas vel Sauromatas vel magos magistros habuisse, a quibus didicerunt rerum principii divinum cultum impie decernere: atque inde, Deum qui princeps omniumque effector ipsorumque conditor est, ipse principii expertus, ignorans, egena haec et infirma elementa, ut ea vocat Apostolus (Gal. 4, 9), quae ad usum hominum ministeriumque facta sunt, coluerunt.“³⁾ „Et hi quidem“, ait Clemens, „atheo sunt, qui insipienti quadam sapientia materiam coluerunt.“ Alii vero paulo melius iudicant de Deo, quippe „qui elementa deos esse negent et excellentius aliquid et praestantius indagant;“⁴⁾ „infinitem enim celebrant.“ Sed „neque illi neque qui infinitati Mentem praefecerunt,“⁵⁾ neque qui „duplex principium reliquere“, quia Deum Creatorem non agnoscunt, probati sunt Clementi.

Similiter rejicit Clemens Stoicos et Peripateticos, quorum illi „cum asseverent numen omnem quantumvis vilem et abjectam materiam pervadere insignem sane notam dedecoris philosophiae impresserunt;“⁶⁾ neque minus vituperandi sunt Peripatetici, quorum „pater rerum omnium patrem ignorans eum, qui supremus dicitur, animam esse universi existimat: adeoque animam hujus mundi pro Deo habens ipse a se confoditur.“⁷⁾ Adjungit Clemens causam, ob quam error statuitur Aristotelis: „etenim manifesti erroris“, ait,⁷⁾ „arguitur, qui, cum providentiam intra lunae orbem definiat, tamen mundum esse Deum statuit; ac proinde eum qui Dei expertus est, Deum esse existimat.“ Denique repudiat Epicurum, qui, „cum Deum nihil prorsus curare existimet, per omnia quidem est impius;“ necnon respuit Heraclidem Ponticum, „qui ubique ad simulacra Democriti abripitur“.

Clementem in horum quos attulimus philosophorum doctrina de Deo exposita dijudicanda sequi rationem tamquam normam et legem cognoscendi veritatem, mirum esse non debet; nam sicut jam in Particula prima demonstravi, ut alii philosophi ita et Clemens persuasum habet verum esse illud Ciceronis: „Naturae rationisque non parvi vis est“ et „per rationem cernit homo consequentia, causas videt rerum (De off. 4);“ quapropter suo jure postulat et ab ethnicis, quos ad cognitionem Dei veri excitare atque adducere studet, ut, si velint recte iudicare de philosophorum suorum sententiis, obtemperent rationi suae.

Jam vero quid alterum philosophorum genus de Deo vero juxta Clementem doceat, si quaerimus, primum commemorandum est, illos quamvis non totam de Deo Creatore invenerint veritatem, tamen doctrina hujusmodi aliquantum ad cognitionem Dei conferre neque parum ad ethnicos religione christiana instituendos valere. Priusquam tamen id Clemens accuratius explanet, quam absurdum atque ineptum sit quod primum philosophorum genus de diis tradat, quamque necessaria sit cognitio veri Dei, iterum, licet breviter, ostendit atque quasi in uno intuitu ethnicis proponit. In memoriam iis vocat absurdas fictas-

3) Cohortatio ad Gentes, l. c.

4) Cohortatio ad Gentes, l. c. *τούτω μὲν γε ἄμβω τὸν Νοῦν ἐπεσιγησάτην τῇ ἀπειρίᾳ.*

5) Cohortatio ad Gentes, l. c. *· · διὰ πάσης ἔλης · · τὸ θεῖον διήκειν.*

6) Cohortatio ad Gentes, l. c. *ὄγε τῆς αἰρέσεως πατῆρ τῶν ὄλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα, τὸν καλοῦμενον ἕπατον, ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἶεται.*

7) Cohortatio ad Gentes V, pag. 173.

que ab auctoribus fabularum imagines et aniles nugae; quas animo quodam irato atque cum dolore reprehendens sic pergit: ⁸⁾ „Quid enim, per ego te veritatem rogo, eos qui tibi crediderunt, corruptioni et interitui gravi sane atque parum honesto, reddis obnoxios? Cur autem vitam impleas simulacris, cum vel ventos vel aërem vel ignem vel terram vel hunc mundum esse deos fingis? aut astrologiae hujus vulgo jactatae potius quam astronomiae ope ad coelestia corpora tuam orationem convertens, ad homines qui sane errant, errantia sidera deos esse mentiris?“

Deinde Clemens, ut jam ab erroribus inanitatibusque ethnicos prorsus removeat eis-que ad cognitionem Dei veri aditum aperiat, argumento quod dicitur cosmologico vel principio causalitatis usus ab effectu vel operibus exordium capit, ad causam universalissimam i. e. ad Deum Creatorem Omnipotentem indagandum atque demonstrandum duce eadem ratione transit, haec gravitatis plena faciens verba: ⁹⁾ „Ego vero Deum spirituum desidero, Dominum ignis, opificem mundi quique soli lucem suam dedit: Deum requiro, non autem opera Dei. Quem vestrum habebō disquisitionis hujus adiutorem?“ Et respondet: ¹⁰⁾ „Platonem quidem, si tibi videatur, haud penitus repudiamus.“ Tum Clemens quasi quale sit argumentum in quo Plato ponat demonstrationem existentiae Dei interrogat addens haec: „Quibus igitur argumentis, o Plato, Deum exquiremus?“ Affert dein praeclarissima illa Platonis verba quibus vix ab ethnicorum philosophis de Dei nomine de ejusque existentia demonstranda dictum est melius; sunt enim haec: ¹¹⁾ „Universi enim hujus patrem et effectorem et invenire difficile est, et cum inveneris, ut eum verbis enunties, prorsus impossibile“. Quod testimonium quantum valeat quidque ei insit auctoritatis, Clemens ipse exponit; neque enim plane et in omni genere probat illud neque contemnit aut rejicit omnino, id quod intellegitur ex iis quae subjungit: ¹²⁾ „Cur vero?“ ait, „quaeso te per ipsum. Enuntiari enim non potest. Euge, o Plato, attigisti veritatem; tamen ne pigeat te laboris; sed una mecum suscipe boni inquisitionem.“ Declarat igitur Clemens, argumentum Platonis, e quo quidem satis esse Deum eumque esse Creatorem mundi elucet, illustrari, suppleri, firmari oportere. Et cum id efficit, maxime fontem, ex quo demonstratio illa et illustratio exquiritur, ante oculos ethnicis ponit atque manifestat. En ejus verba: ¹³⁾ „Universo (enim) generi humano, praecipue vero illis, qui in studiis litterarum versati sunt, divina quaedam semina sunt instillata; a quibus fateri vel inviti et reluctantes coguntur, quod unus sit Deus, interitus ortusque expers „qui supra nos in aliqua coelestis planitiei regione velut in propria specula, semper versetur.“ Huc addit Clemens alium Platonis locum, quo disputatur de Deo quique sic legitur: ¹⁴⁾ „Circa regem omnium omnia sunt, estque ille

8) Cohortatio ad Gentes VI, pag. 172.

9) Cohortatio ad Gentes VI, pag. 172 . . . τὸν Κύριον τῶν πνευμάτων ποθῶ . . . , τὸν ἡλίου φωταγωγὸν Θεὸν ἐπιζητῶ, οὐ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ.

10) Coh. ad Gentes. I. c. . . . οὐ γὰρ παντάπασιν ἀπεργνώκαμέν γε, εἰ βούλει, τὸν Πλάτωνα.

11) Coh. I. c. . . Τὸν γὰρ πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντός εἶδόν τε ἔργον, καὶ εὐρόντια εἰς ἅπαν ἐξειπεῖν ἀδύνατον (In Timaeo, pag. 18 tomi tertii, edid. Serrani; cf. Migne, n. 57.)

12) Coh. ad Gentes VI, p. 173 . . . Εὐγε, ὦ Πλάτων, ἐπιφᾶσαι τῆς ἀληθείας· ἀλλὰ μὴ ἀποκάμης· ξὺν μοι λαβοῦ τῆς ζητήσεως τὰ γαθοῦ πέρι.

13) I. c. πᾶσι γὰρ ἀπαξιαπλῶς ἀνθρώποις, μάλιστα δὲ τοῖς περὶ λόγους ἐνδιατριβουσιν, ἐνέστακται τις ἀπόρροια θεϊκή· οὐ δὴ χάριν καὶ ἀκοντες μὲν ὁμολογοῦσιν ἕνα τε εἶναι θεόν, ἀνώλεθρον καὶ ἀγέννητον.

14) I. c. . . . αἰνίττεται περὶ τὸν πάντων βασιλέα, πάντ' ἐστὶ κάκεινο αἴτιον ἀπάντων κακῶν; cf. Migne pag. 173 n. 63 (Platonis locus exstat in secunda epistola ad Dionysium.) . . . Θεός, τῆς τῶν ὄντων ἀληθείας τὸ μέτρον.

causa bonorum omnium;" et haec verba explicans hunc in modum pergit: „Quisnam igitur est rex omnium? Deus rerum veritatis, norma ac mensura. Quemadmodum igitur mensura comprehendit res demensas, sic etiam qui Deum animo suo concepit, ipsam quoque veritatem metitur et comprehendit.“ Comparat autem cum verbis Platonis locum S. Scripturae qui invenitur apud s. Moysen Deut. 25, 13 sq., ubi legimus: unicus et verus Deus, quem per unicam justam mensuram significat, semper aequalis eodemque modo se habens, omnia justitia sua quasi trutina, metitur et ponderat, universam naturam velut in aequilibrio continens et sustinens.“

Praeterea Clemens ex Platonis libris tertium locum depromit ¹⁵⁾ quod est eorum quos jam cognovimus supplementum quoddam et argumentum quod vocant psychologicum in se comprehendit; in medium eum proferamus. „Deus . . . ut veteri quoque verbo dicitur principium, finem, atque media rerum omnium continens, recta peragit, secundum naturam circumiens. Eum vero justitia perpetuo sequitur, quae de his, qui a divinis legibus desciscunt, poenas sumit.“

Quodsi quae Plato de Deo tribus, quos commemorat ac recenset Clemens, locis docet, congesta etiam iterum consideramus, haec ab eo lumine rationis et potuisse cognosci et revera cognita esse negare non possumus. Immo Clemens ipse, ut ex ejus verbis satis apparet, Platonem ratione duce ad illam naturalem quae dicitur cognitionem Dei pervenisse affirmare non dubitat, quam quidem cognitionem accuratius exprimit, auget, perficit. Recte igitur Guilelmus Capitaine judicat scribens: ¹⁶⁾ „Daß Clemens die Möglichkeit einer natürlichen Gotteserkenntnis zugibt, folgt schon aus einer ganzen Reihe philosophischer Zeugnisse, die er im Protreptikus anführt. Er selbst sucht Plato zu belehren, daß die Einheit Gottes aus dieser ganzen sichtbaren Welt erkannt werden könne, ja sogar gegen unseren Willen durch göttliche Einwirkung erkannt werden müsse;“ quod Capitaine probat ex Platonis verbis, quae secundo loco attulimus.

Attamen Clemens Platonem argumenta illa, de quibus agitur, ab aliena parte assumpsisse pro certo habet neque, si hoc affirmat, sibi repugnare veretur. Namque duplici modo aliquid exquiri cognoscique posse, e. gr. et excogitando vel potius ratiocinando et simpliciter comperiendo ac discendo ab aliis, quis est qui nesciat? Et de fonte illo, e quo Plato scientiam de Deo supra significatam hauserit, Clemens sic loquitur: ¹⁷⁾ „Undenam, o Plato, hanc veritatis significationem edis? Undenam tibi est affluens illa verborum copia, qua cultum Deo debitum exponis? His, inquit, sunt sapientiores barbarorum gentes. Tuos ergo magistros novi, licet eos celare velis. Geometriam didicisti ab Aegyptiis; astronomiam a Babylois, sanas incantationes a Thracibus accepisti. Multa etiam Assyrii te docuerunt. Leges autem, quotquot sunt rationi consentaneae et illa de Deo sententia, suppeditata tibi sunt ab Hebraeis;“ „qui“, ut ait prophetia Sibyllina, nusquam vanis erroribus inducti . . . „unumque colunt, qui cuncta gubernat, usque immortalem.“ Cui Clementis expositioni nemo resistere potuerit; quod vero ex hoc iudicio sequitur, cum dilucidet atque illustret s. Scripturae auctoritatem et credibilitatem, ad ethnicos imprimisque philosophos divinae revelationi

15) Coh. VI, pag. 176. Ὁ μὲν δὴ Θεός, ὡπερ - καὶ ὁ παλαιὸς λόγος ἀρχὴν καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἀπάντων ἔχων, εὐθεΐαν περαιναι κατὰ φύσιν περιπορευόμενος· τῇ δ' αἰεὶ ξυνέπειται δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός.

16) „Die Moral des Clemens von Alexandrien“, pag. 71.

17) Coh. VI, pag. 176. Πόθεν, ὦ Πλάτων, ἀλήθειαν αἰνίττῃ . . . νόμους δὲ τοὺς δοσι ἀληθεῖς, καὶ δόξαν τὴν τοῦ Θεοῦ παρ' αὐτῶν ὀφέλλῃσαι τῶν Ἑβραίων.

conciliandos eosque reverentia erga doctrinam christianam imbuendos haud dubie maximam vim habebat.

Sed et aliorum philosophorum dicta colligit proponitque Clemens, unde intellegant ethnici, Deum esse verum et unicum, suorum vero deorum simulacra esse inania atque destruenda. „Nec unum“ ait ¹⁸⁾ „modo Platonem, o philosophia, sed alios etiam quamplures in medium adducendos cures, qui praeter unicum verum Deum, neminem Dei nomine dignantur, ipsius quidem spiritu, sicubi veritatem apprehenderint, inflati.“ Enumerat ¹⁸⁾ deinde Antisthenem, qui „a Socrate, cui operam dabat, edoctus, Deum dixit esse nemini similem, quare nec ex imagine cognosci a quopiam posse“. Addit ¹⁹⁾ Xenophontem Atheniensem qui „partem aliquam veritatis libere satis atque aperte litteris prodidit, idem plane quod Socrates, dicturus testimonium nisi venenum Socratis timuisset: id tamen nihilominus innuit: Qui omnia concutit, idemque tranquillat, inquit, eum et magnum et potentem esse constat: qua vero specie sit, non liquet . . .“ Quae sic Xenophon eloquitur, ea ab iisdem Hebraeis illi tradita esse arbitratur Clemens. ²⁰⁾

Denique laudat ²¹⁾ Clemens Cleanthem Pisadeum, stoicum philosophum, „qui non poeticam theogoniam, sed veram theologiam exhibet, quid sentiret de Deo minime nos celavit.“ Ex ejusdem verbis allatis Clemens patere existimat, qualis sit Deus; quodque consuetudo et communis opinio eos qui ipsas sequi quam Deum quaerere malunt, in miseram servitutem abducant. „Nec vero“, sic pergit ²²⁾ Clemens, „praetereundus Pythagoras, cujus haec sunt verba: Deus quidem est unus: nec is extra hunc rerum ordinem, sed in eo, totus in toto orbe, praeses omnis generationis; universorum temperatio, qui semper est suarum compositionum, operumque omnium auctor, luminare coeli, et pater omnium, mens et vita totius orbis, omnium motus.“

Si quis fortasse miretur me in iis quae Clemens de philosophorum locis illis de Deo tractantibus disserit, exponendis tam diu esse versatum, reputet secum, hic summam agi rem eamque qua continetur fundamentum totius argumentationis, et Clementem summam navare debuisse operam ethnicis ad cognoscendum ac colendum unicum et verum Deum traducendis iisque quasi transitum ad assequendam religionem christianam parandum suscepisse. Qui ergo viam ac rationem Clementis adducendi ethnici ad fidem christianam penitus cognoscere voluerit, quod et quale auxilium ex ethnicorum ipsorum philosophia repeti et accipi possit, id ante omnia ei quaerendum ac statuendum erit. Nam nisi erudite ac literate coram ethnicis imprimisque doctis in christiana religione defendenda atque probanda disputaret, non multos fructus se ex labore suo et opera percipere posse, Clemens qui eadem via ab errore et vanitatibus ad fidem christianam pervenerat, certe satis persuasum habebat. Et ut hac in re quae agitur perscrutanda praecipue ratio humana laboraret et polleret, non solum Clemens suo jure volebat, sed etiam maxime ethnicis placere oportebat. — Hanc Clementis de philosophia disputationem me non posse aptius absolvere puto, quam si, quo spectet haec tota expositio, ejusdem Clementis usus verbis explano, quae hic subjicio: „Atque haec quidem, quae ab illis afflatu Dei scripta, a nobis autem electa

18) I. c. . . Θεὸν οὐδεὶς εἰκέναι . . διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐμαθεῖν ἐξ εἰκόνης δύναται.

19) Coh. VI, pag. 177. Ὁ γοῦν τὰ πάντα, φησὶ, σείων καὶ ἀτρεμίζων, ὡς μὲν μέγας τις καὶ φανερώς δυνατός ὄλοιός δέ τις μορφῆν, ἀφανής . . .

20) Hebraeorum prophetissa, a qua Xenophontem scientiam didicisse Clemens credit, est Sibylla, quam ut annotat Migne, Gregorius Nazianzenus existimavit e Judaeorum libris oracula sua consarcinasse.

21) Coh. VI, pag. 177.

22) Coh. VI, pag. 180.

sunt, ad agnitionem Dei suffecerint iis omnibus, qui ad perspicendam veritatem non sunt prorsus²³⁾ hebetes atque indociles.“

2. At Clemens, re quam persequitur in omni genere bene considerata atque perspecta, non satis habet ex philosophorum scriptis, esse Deum verum et unicum eumque ab omnibus colendum et adorandum, demonstravisse, quamvis illos, quippe qui, ut ita dicam, ex professo verum indagare atque invenire debeant et revera de Deo non male disputent, doctrina sua ad ethnicos veritate imbuendos multum conferre, non ignoret. Cum enim cognitum haberet ethnicos atque imprimis doctos et eruditione ornatos magis etiam poetarum operibus quam philosophorum moveri et delectari, sperare poterat, poetas etiam sicut mysteriis atque fabulis adhaerentes aliorum animos traherent tenerentque, ita, si de Deo vero quid argumenti vel doctrinae exhiberent, ex consequenti mentes ethnicorum allecturos atque ad Deum verum cognoscendum, colendumque esse excitaturos. Itaque simili modo atque s. Paulus, „cum stans in medio Areopagi Athenienses de Deo vero doceret, ²⁴⁾ ad praeclarissima illa verba: In eo enim vivimus et movemur et sumus, addidit, ut illorum animos doctrina christianae magis conciliaret, haec quoque: „sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus: genus ergo cum simus Dei non debemus aestimare auro aut argento . . . Divinum esse simile . . .“ ita auctor „Cohortationis ad Gentes“ revocat ethnicos ad ipsorum poetas sic ornate incipiens loqui: ²⁵⁾ „Accedat insuper ad nos (nec enim erimus sola philosophia contenti) poetica quoque ipsa, quae penitus dedita mendaciis vix tandem aliquando veritati testimonium praebebit, seu potius suam ad fabulas digressionem Deo confitebitur.“ Primus quidem affertur Aratus, qui Dei potentiam omnia pervadere existimat: . . . ut omnia firma sint,

Hunc semper primum postremumque propitiant:

Salve, pater, hominibus magnum miraculum, magnum emolumentum.“

Commemorat deinde Clemens Ascræum Hesiodum, qui pariter atque Aratus de Deo agit; ecce ejus versus huc pertinentes:

„Ipse enim omnium rex et princeps est,

Nec immortalium alius quispiam hoc imperium possidet.“

Permagnam vero auctoritatem tribuit Sophocli, Sophili filio, cujus verbis ideo magis ethnicorum animos moveri sperandum est, quia, ut Clemens ait, „ille non sine gravi suo periculo veritatem in scena spectatoribus exhibuit“. Audiamus quae cecinit Sophocles de Deo sic: ²⁶⁾

„Unus profecto est, unus est tantum Deus,

Coeli solique machinam qui condidit,

Vadumque ponti caerulum et vim spiritus.

At ducta caeco spiritu gens mortalium

Commenta cladis in suae solatium est

Simulacra divum facta saxo aut arbore

Vel pondere auri . . . “

23) I. c. *Ἀπόχρη καὶ τάδε, εἰς ἐπίγνωσιν Θεοῦ, ἐπὶ πνοίᾳ Θεοῦ πρὸς αὐτῶν μὲν ἀναγεγραμμένα, πρὸς δὲ ἡμῶν ἐξειλεγμένα, τῷ γε καὶ σμικρὸν διαθρεῖν ἀλήθειαν δυναμένῳ.*

24) Act. XVII, 22 sqsq.

25) Coh. VI, pag. 180.

26) Coh. VII, pag. 181. *Εἰς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶ Θεὸς, ὃς οὐρανὸν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὴν . . .*

Neque minus grave Clemens existimat ²⁷⁾ carmen hoc Orphei, Oeagri filii:

. . . mundi autem respice regem,

Solum immortalem . . .

Ex se unus genitus, genita et sunt omnia ab uno:

Versaturque in eis ipse; ex mortalibus ullus

Nec videt hunc, contra sed cunctos aspicit ipse.

Tu vero, mortalis vario consilio praedite, ne cuncteris diutius,

Sed retro versus, Deum fac tibi propitium.“

Postquam ita Clemens, ethnicos suorum poetarum carminibus serio revocari a superstitione excitarique ad Deum verum studiose colendum ostendit, ut jam ipse declaret, se non nimis velle laudare aut aestimare Graecorum poetarum de Deo voces, hoc de illis facit iudicium: ²⁸⁾ „Nam si Graeci, qui quasdam divini verbi quasi scintillas acceperunt, exiguam aliquam veritatis partem, elocuti sunt, vim quidem ejus non occultam attestantur, una tamen, suam imbecillitatem arguunt, quia finem non attigerint: hinc existimo cuivis esse manifestum, quod perinde faciant, qui sine verbo veritatis aut agunt aliquid, aut loquuntur, ac si quis conetur ingredi absque pedibus.“ Tali igitur sorti ut Clemens ethnicos quos doctrina christiana instituendos suscepit, eripiat, eosque ad salutem certo adducat, proponit iis etiam „deorum eorum notas ac reprehensiones, quos poetae vi veritatis coacti perstringunt et insectantur“. Et primum quidem eos ponderare jubet. ²⁹⁾ quod Menander Comicus in fabula, quae „Auriga“ dicitur, ad deorum cultum rerum contemnendarum plenum illudendum hisce narrat verbis:

„Mihi, inquit, placere non potest anus comes

Deus ambulator, nec qui irrepit in domos

Tabulae praesidio.“

Explicans hos versus Clemens, „id quippe“, ait, ³⁰⁾ „faciebant, qui Matri deorum stipem emendicabant, quibus Antisthenes haud abs re fertur respondisse: Non alo matrem deorum, quam dii alunt“.

In illorum poetarum numero, qui „deos coarguunt nec tantillum verentur maledictis eos proscindere“, ab Clemente habentur etiam „Homerus et Euripides aliique poetae permulti“. Ut alia, quae Clemens ex illorum carminibus excerpta affert, hic omittam, id tantum memoro, quod de Minerva et Vulcano et de Apolline dictum narrat: ³¹⁾ „Etenim Minervam cynomyiam et Vulcanum utroque pede claudum appellant.“ „Socratica sane schola dignum se praestat Euripedes, qui respiciens ad veritatem, spectatores suos despicit ac contemnit. Modo enim Apollinem . . . arguit:

„Huic parens interfeci matrem;

Illum ducite pollutum et interficite:

Ille peccavit, non ego,

Quid sit justum atque honestum minus callens.“

27) l. c.

28) Coh. VII, pag. 184. *Εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα ἐναύσματα τινα τοῦ λόγου τοῦ θείου λαβόντες Ἕλληνες ὀλίγα ἄττα τῆς ἀληθείας ἐφθέγγαντο, προσμαρτυροῦσι μὲν τὴν δύναμιν αὐτῆς οὐκ ἀποκεκορμμένην, σφᾶς δὲ αὐτοὺς ἐλέγχουσιν ἀσθενεῖς, οὐκ ἐφικόμενοι τοῦ τέλους.*

29) l. c.; cf. Migne not. 25 et 24.

30) l. c. Coh. VII, pag. 185.

31) Coh. VII, pag. 185.

3. Jam vero Clemens, ut magis magisque ethnicos veritati christianae conciliet eosque ad salutem assequendam praeparet, philosophorum et poetarum de Deo doctrina explanata, quid Prophetarum libri de Deo nobis ingerant, diligenter anquirat, et quod continent, discipulis suis tradit. Quanti vero Prophetarum scripturas aestimet, ex his ejus verbis colligas: ³²⁾ „Horum enim responsis, quae rationem colendi Deum admodum manifeste nobis exhibent, fundata est veritas. Divinae autem Scripturae sapientesque institutiones compendio ducunt ad salutem.“

Quod vero ad methodum ac rationem attinet, quam Clemens testimonia s. Scripturarum de Deo ejusque attributis depromens et explanans adhibet, non copiose lateque de causis disserit, ob quas illa credibilia facta videantur ethnicos, sed potius simpliciter, quae docent s. Scripturae, apponit nec timet, ne illi repugnent. Attamen, cur s. Scripturis in hac quoque re, de qua quaeritur, utique credendum sit, hoc modo exponit probatque: ³³⁾ „Expertes omni fuco et externis verborum ornamentis, blanditiis atque illecebris, hominem vitiis plane suffocatum suscitant, dum ancipites hujus vitae casus contemnere docent, unaque et eadem voce diversos affectus curant, cohortantes quidem a periculosa fraude, clare autem ad consequendam illam, quae nobis posita est ante oculos, salutem adhortantes.“ Huc accedit aliud momentum, quo ethnicos s. Scripturarum auctoritas ac vis optime commendatur. Clemens enim iis graviter dixerat, philosophos Graecorum imprimisque Platonem doctrinam suam de Deo veram ex libris Hebraeorum petivisse, id quod nemo non concessit. Et si in rebus, quae rationis humanae iudicio subjacent, s. Scripturas longe superare sapientissimi cujusque velut Platonis intellegentiam atque sollertiam Clemens planum faciebat, nonne fore, ut talis magisterii excellentia ethnici valde delectarentur atque moverentur ad verumque et unicum Deum colendum vehementer impellerentur, exspectandum erat? Sed quoniam alicujus doctrinae veritas maxime eo firmatur, quod eam in vita degenda sequeris, Clemens id argumentum apologeticum non praeterit silentio, sed adhibet ad laudandam ac corroborandam s. Scripturae auctoritatem. „Nec enim“, inquit, ³⁴⁾ „falsum nuda propositione veri dissipatur, sed usu veritatis rejicitur atque fugatur.“

His de quaestione, quanti momenti s. Scripturae juxta Clementis sententiam ethnicos in cognitione veri Dei esse debeant, breviter expositis, sequitur jam, ut, quomodo Clemens singula earum testimonia ad rationem colendi Deum ethnicos exhibendam adhibeat, paucis videamus. Atque primum quidem affert „Sibyllae salutare canticum illud, quod non abhorret a libris sacris, verum, ut ait Clemens, rem, quam tractat, ex his transcripsit; subjungo hoc canticum partim hic: ³⁵⁾

„Unde clarescit nulloque errore vagatur:

.

Ergo agite atque animis vigeat sapientia vestris:

Unicus est Deus, imbriferos qui decutit Euros,

.

Est coeli Princeps, Dominus terrae, is quoque vere est.“

32) Coh. VIII, pag. 188 . . . οἱ χρησμοὶ . . . θεμελιοῦσι τὴν ἀλήθειαν. Γραφαὶ δὲ αἱ θεῖαι . . . σύντομοι σωτηρίας ὁδοί.

33) l. c.

34) l. c. Τὸ γὰρ ψεῦδος, οὐ φιλή παραθέσει τὰ ληθοῦς διασκεδάννυται· τῇ δὲ χρήσει τῆς ἀληθείας ἐκβιαζόμενον, φουγαδεύεται.

35) l. c. . . Ἐὶς θεός ἐστι . . . Οὐρανοῦ ἡγεῖται, γαίης κρατεῖ, αὐτὸς ὑπάρχει.

Deinde perlustrat Clemens libros sacros ex iisque colligit multos ac varios locos, quibus Dei magnitudo, potentia creatrix et gubernatrix, sapientia, Unitas omnipraesentia, alia attributa illustrantur atque laudantur. Exempli gratia magnitudinem Dei laudibus effrens sic admonet: ³⁶⁾ „Considera Dei magnitudinem et obstupesce. Hunc nos veneremur, de quo dicit propheta: A facie tua montes liquescent, sicut a facie ignis liquescit cera. Is, inquit, est Deus, cujus coelum est thronus, terra autem scabellum pedum ejus.“ Sapientiam vero Dei in luce ponit hoc loco: ³⁷⁾ „Dominus dat sapientiam et a facie ejus cognitio et intelligentia (Prov. II. 6)“.

Quoniam autem Clemens totus in eo est, ut ethnicos ab inanitate ac futilitate deorum avertat convertatque eos ad colendum Deum verum et unicum, summam ad id efficiendum vim ei habere videntur illa Scripturae s. verba, quibus Deus absolutus appellatur et unicus Deus atque homines si ad salutem pervenire velint soli Deo vero servire jubentur, deos alienos sequi ac colere vetantur; placeat hac in re Clementem ipsum audire: „Quin“, ait, ³⁸⁾ „de simulacris etiam visne audire, quid dicat hic propheta (Isaias)? Traducentur coram sole, et erunt eorum morticinae, escae volucris coeli et bestiis terrae; putrefient a sole et luna, quae ipsi amaverunt, et quibus ipsi servierunt . . .“ Et alibi: ³⁹⁾ „Quid vero, cum Deus rursus se ostendere per Moysen velit? Videte, videte, quod ego sum et non est alius Deus praeter me. Ego occidam et vivere faciam; percutiam et ego medebor: et non est qui eripiet e meis manibus.“ (Deut. 32,39). Et paulo post: „Atque iterum per Isaiam: nam et hoc quoque dictum commemorabo tibi: Ego sum, ego sum, inquit, Dominus, qui loquor justitiam et annuntio veritatem. Congregamini et venite; simul consultate, qui servamini e gentibus. Non cognoverunt qui tollunt lignum, sculpturam eorum; et deos orantes, qui eos non servabunt. (45,19 sq.)“ „Ego“, inquit, „Deus et non est praeter me justus et servator. Convertimini ad me, et salvi eritis.“ Pergit deinde Clemens sic: ⁴⁰⁾ „Et simulacrorum cultoribus iratus, ait: Cui assimilastis Dominum, aut cui similitudini assimilastis ipsum? Num imaginem fecit faber, aut artifex auro fuso ipsum auro illivit? (Isais. 40,18 sq.);“ denique ethnicos cohortans adjicit haec: ⁴¹⁾ „Quocirca ne vosmet posthac simulacrorum cultui addicatis, sed nunc saltem cavete has minas: Ejulabunt enim sculptilia et quae manu facta sunt (Js. 10,10 sq.) vel his potius, quibus in istis est fiducia; est enim materia sensus expers.“ Ac ne id quidem omittit Clemens commonere quod s. Paulus apostolus (Rom. I, 26,23,25) de Graecis reprehendens eos nuntiat: „Cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt neque gratias ei egerunt: sed vani facti sunt in cognitionibus suis, et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et servierunt creaturae potius quam creatori.“

Hanc expositionem doctrinae, quae de Deo invenitur in libris sacris, Clemens absolvit verba faciens, quae prorsus respicienda videntur. „Possem“, ait enim, ⁴²⁾ „etiam alias tibi Scripturas afferre pene innumerabiles, quarum ne apex quidem unus praeteribit (Luc. 16,17), qui non perficiatur. Spiritus enim sanctus, qui Domini quasi os est, ea est locutus. Noli ergo amplius, inquit, fili, negligere castigationem Domini, neque deficias, cum

36) l. c.

37) Coh. VIII, pag. 189 sp.

38) Coh. VIII, pag. 188.

39) Coh. VIII, pag. 189.

40) l. c.

41) l. c.

42) Coh. VIII, pag. 192.

ab eo argueris.“ (Hebr. 12,21). Miretur hic quispiam, quod Clemens, ut supra vidimus et postea etiam clarius videbimus, ab ethnicis et imprimis a philosophorum discipulis postulabat, ut s. Scripturarum doctrinae se subjicerent eique sine haesitatione crederent; sed non est, quod in hac re alienum putes. Namque philosophi illius temporis in scholis suis eam consuetudinem vel legem servabant, ut, quae docerent, a discipulis ea tamquam dogmata philosophica haberentur ac simpliciter crederentur; quae autem discipuli credebant primum, postea ea se exercitos praeparatosque virtute (*καθαρσις*) intellecturos vel, ut rectius dicam, intuituros, magna iis dabatur spes. Eandem methodum quominus Clemens sequeretur, nihil obstabat. ⁴³⁾

4. Clemens, cum Scripturae s. ethnicos ad Deum agnoscendum ac colendum vocanti et hortanti repugnare non posse sciat, hinc sequi ostendit, quam graviter, si nihilominus ejusdem auctoritatem spernerent, peccarent, atque, ut id magis eluceat, e Scriptura s. locos petit ac praeponit ethnicis; unde nempe, quanto amore Deus homines complectatur, intelligant. Ita considerans misericordiam Dei sic exclamat: ⁴⁴⁾ „O admirabilem erga homines amorem! . . . tamquam pater filios mitissime monet.“ Et deinde addit haec: „ . . . tanto magis impii sunt nonnulli, quanto benignior est Deus ac humanior. Etenim cum Deus nos ex servis filios fieri voluit, hi in numerum ejus filiorum assumi fastidiunt. O, incredibilem amentiam! pudetne vos Domini? Is quidem libertatem pollicetur, vos autem aufugitis in servitutem. Is salutem largitur, vosque in perniciem vestram ruitis. Is aeternam salutem donat, et vos supplicium exspectatis.“ Ut autem ethnici ne eorum quidem, qui Dei amori restiterint, esse desperandam salutem sibi persuadeant, pergit Clemens illustrare Dei misericordiam eumque curam incredulorum deponere prorsus negat; „instat“, ait ⁴⁵⁾ „Deus ipsis assidue hortando, perterrefaciendo, impellendo, excitando, admonendo; et hos quidem, qui erroribus fuerunt impliciti expergefatos e mediis tenebris excitat. Expergiscere, inquit, qui dormis et surge a mortuis, et illucescet tibi Christus Dominus (Ephes. 5,14), ille Sol resurrectionis, qui ante luciferum genitus est (Psaf. 109,3) suisque radiis vitam praebuit.“ Suo jure postulat jam Clemens ab ethnicis, „ne quis eorum spernat Verbum ac nihili faciat, ne forte semetipsum imprudens contempsisse reperiatur“; ⁴⁶⁾ namque ei id licet non solum propter legem illam ac consuetudinem, quam observatam esse in philosophorum scholis novimus, verum etiam quia „Deum nemo novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (Matth. 11,27)“ et quia ipse id Scripturae s. verbum explicans haec statuere potest: „Nec mihi dubium est, quin is qui portam antehac clausam aperuit, posthac ea quae intus latent, revelabit eaque nobis ostendet, quae a nemine unquam cognosci potuerunt, nisi qui per Christum ingressus fuerit, per quem solum Deus cernitur.“ In hac quoque re Clementem sequi consuetudinem in philosophorum Graecorum scholis vigentem vel potius eum accommodare rationem suam docendi ad illum quem diximus morem, quis est qui nesciat? ⁴⁷⁾

43) Cf. Theologische Quartalschrift, 1873. „Pistis und Gnosis bei Clemens von Alexandrien“. Von Repetent Dr. Knittel. „Ja der ganze Weg . . . von der einfachen Annahme des Glaubens hindurch durch ethische Reinigung zu einem begreifenden Erkennen . . . und letztlich zu mystischer Intuition der Gottheit, ist . . . gerade der Glaube, den ein Schüler der Philosophen seiner Zeit, sofern er sich irgend welchem geachteten System anschließen wollte, ganz ebenso durchmachen mußte.“ (pag. 408). Cf. Willmann, O. „Geschichte des Idealismus“, Bd. I, S. 42 cf. 43. Cf. H. Koch, „Pseudo-Dionysius Areopagita in seinen Beziehungen zum Neuplatonismus und Mysterienwesen“, Mainz 1900 praesertim pag. 135 sqsq.

44) Coh. IX, pag. 193.

45) Coh. IX, pag. 196.

46) I, c.

47) Cf. Willmann, O. I. c. Vol. I, § 24, et 28, 1. § 43, 5. Vol. II, § 5,2, 2.

Quae cum ita sint, Clemens graviter ac diserte poscit, ut ethnici in Christum credant. „Ipsam“, ait ⁴⁸⁾ „adeo Dei verbum palam tibi loquitur, ut infidelitati pudorem incutiat; Verbum, inquam, Dei homo factum, ut tu quoque ab homine discas, qua arte homo fieri Deus possit.“ Et alio loco: ⁴⁹⁾ „Cur non aures nostras Verbo patefacimus, Deumque hospitem puris et intaminatis animabus excipimus?“ Et iterum sic: ⁵⁰⁾ „ . . . voci divini Verbi semper pareamus . . . lux autem hominum est Verbum, cujus ope Deum videmus . . . incredulis autem et contumacibus . . . infensus est et minatur Deus.“

Ethnici veró ita ad cognitionem Dei et Verbi Praeceptoris perducti simulque de officio quod ex hac cognitione nascitur edocti, ut melius, quid sibi velit et quo tendat haec tota cognitio, perspiciant, item Clemens modo ad rationem philosophorum docendi adaptato ⁵¹⁾ planam rem facit. Interrogat enim: ⁵²⁾ „Quae est igitur cognitio?“ Et respondet: ⁵³⁾ „Pietas erga Deum.“ Ergo juxta Clementis mentem est cognoscere Deum idem atque sectari virtutem; virtutis autem loco paulo post Clemens ponit caritatem vivamque fidem, ⁵⁴⁾ qua tamquam mercede haud injusta ematur salus pretiosissima. Quam pietatis vim explanat verbis his: ⁵⁵⁾ „Pietas autem, ut hominem Deo, quoad potest, assimilet, idoneum ipse magistrum Deum ascribit, qui solus hominem, prout est dignum, Deo similem efficere valet;“ quam doctrinam Clemens firmat verbis Apostoli, apud quem sic legitur (2. Tim. 3,15): Tu autem, o Timothee, a puero sacras litteras novisti, quae te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem, quae est in Christo.“ Huc addit: ⁵⁶⁾ „fieri enim nequit, ut illae litterae non sint sacrae, quae non modo sanctos, sed etiam divinos faciunt. Unde scripturas etiam illas. . . Apostolus appellat (2. Tim. 3,16 sq.) divinitus inspiratas, ut quae essent utiles ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.“ Denique Clemens tamquam complectens omnia, quae de Deo et fide christiana hucusque disseruit, „Fides“, ait, ⁵⁷⁾ „vos introducet, experientia docebit, Scriptura instituet“, et monet omnes quos instituendos suscepit, regenerationis

48) Coh. I, pag. 66.

49) Coh. IX, pag. 197.

50) l. c.

51) Cf. Willmann l. c. „Alle Erkenntniskräfte“, ait doctissimus auctor, „dachten die Vertreter des Idealismus im Altertum auf die Wahrheit hingeordnet und ihre höchste Ausbildung in der Weisheit zusammengefaßt, welche die göttlichen Dinge zum Gegenstande hat, und, für die Menge ein Geheimnis, sich erst den Eingeweihten entschleiert. Sie verstanden die Wahrheit als ein ebensowohl Objektives wie Subjektives, das Erkennen des Wahren als eine Angleichung des Geistes an dasselbe. Sie sehen das höchste Wahre in Gott und die Vollendung des Menschen in der Angleichung an ihn. Auch der christlichen Anschauung ist das Erkennen Gottes ein ihm ähnlich werden: „Wenn er sichtbar wird, so werden wir ihm ähnlich sein, weil wir ihn so sehen werden, wie er ist.“ (1. Jo. 3,2).“ Cf. Cic. De Off. I, 43, ubi haec legimus: „Princepsque omnium virtutum illa sapientia, quam *σωφίαν* Graeci vocant — prudentiam enim, quam Gaeci *φρόνησιν* dicunt, aliam quandam intellegimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia . . . Cf. etiam Cic. De off. I, 5.

52) Coh. IX, pag. 197: *Τίς οὖν ἡ ἐπίγνωσις;*

53) l. c. *θεοσέβεια.*

54) l. c. . . *ἀγάπη καὶ πίστις ζωῆς . . .*

55) l. c. *θεοσέβεια δὲ, ἐξομοιοῦσα τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν τὸν ἄνθρωπον, κατάλληλον ἐπιγράφεται διδάσκαλον Θεὸν, τὸν καὶ μόνον ἀπεικάσαι κατ' ἀξίαν δυνάμενον ἄνθρωπον Θεῷ.*

56) Coh. IX, pag. 197 sq.

57) Coh. IX, pag. 200 . . . *ἡ πίστις εἰσάξει, ἡ πείρα διδάξει, ἡ Γραφή παιδαγωγήσει.*

simul fructus laudans: 58) Properemus consequi salutem renascendo.“ Properemus ad exemplum unitatis unice, uno multi amore conjungi et coalescere: bonaeque monadis videndae studio incensi, qui ejus bonitatis participes sumus, unitatem pariter sequamur.“

5. Haec quidem Clementis argumentatio atque cohortatio, quam hucusque cognovimus, ad ethnicos cognitione Dei instituendos eosque ad fidem christianam adducendos tantam vim habere atque gravitatem videtur, ut ei resisti vix posse putes. Attamen non desunt, qui contra Clementis demonstrationem repugnant aut saltem dubitationem afferunt. Ad eos refellendos Clemens statim transgreditur. Quae vero contra dicuntur, ea ad hoc referri possunt: „Evertere consuetudines a majoribus nobis traditas, rationi minime consentaneum est.“ 59) Facile est Clementi hoc rejicere tollereque impedimentum ethnicorum ultimum credendi Christo, siquidem revera obtemperare rationi cedereque ratiocinationi, ut dicunt, sincero animo voluerint. Nam manet et pro explorato est habendum, rationem suis viribus suffultam secernere posse bonum et malum et propterea consuetudines, quae verae pietati inimicissimae sint, etiam esse detestabiles prorsus atque ut venenum mortiferum omnino fugiendas. „Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal (i. e. homo) sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, quid modus.“ 60) Et idem alibi: 61) „Duplex est enim vis animorum atque natura una pars in appetitu posita est . . . , altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit.“ Cum his Ciceronis dictis plane congruit quod Clemens sic ethnicis instillat: 62) „Quis, o per veritatem, cui sana mens inest, bono derelicto, malitiae adhaeret?“ Et alio loco: 63) . . . eum (sc. qui auribus accepit de Verbo et consulto tamen incredulam mentem gerit) condemnat, quod optimum non elegit. Est enim alioqui a natura homini insitum, ut ei quaedam sit cum Deo conjunctio. Ac proinde quemadmodum equum non cogimus arare neque taurum venari, ad id autem, ad quod natura aptum est, animal unumquodque trahimus: sic sane hominem qui ad contemplationem coeli natus et plane coelestis planta est, id quod in ipso inest prae ceteris animantibus peculiare atque eximium sumentes, ut Deum cognoscat, et viaticum sibi in omnia saecula suffecturum comparet, hortamur ac suademus.“ Hanc igitur doctrinam, cui ethnici, nisi ratione ac naturae repugnare velint, resistere non jam possunt, ut re usuque recipiant, summopere eos excitat et admonet. Ex hujusmodi ejus verbis haec afferre liceat: 64) „Et nescitis veris omnibus hoc esse verius, quod boni pique homines, eo quod bonum coluerunt, bonam mercedem consequentur: qui autem contra sunt mali, meritam poenam. . . . Quae igitur insita est in animis hominum voluntariae mortis appetitio?“ Atque ut maxime objectionem, quam fecerant ethnici contra christianam reli-

58) I. c. *Σπεύσωμεν εἰς σωτηρίαν, ἐπὶ τὴν παλιγγενεσίαν, εἰς μίαν ἀγάπην συναχθῆναι οἱ πολλοὶ κατὰ τὴν τῆς μοναδικῆς οὐσίας ἔνωσιν· σπεύσωμεν . . . τὴν ἀγαθὴν ἐκζητοῦντες μονάδα.* Similiter . . . si vere Deum videre cupis, piaculorum, quae Deo conveniunt, particeps fias (*Σὺ δὲ εἰ ποθεῖς ἰδεῖν ὡς ἀληθῶς τὸν Θεόν, καθαρσίῳν μεταλάμβανε θεοπροπῶν*) Coh. I, pag. 65.

59) Coh. X, p. 201.

60) Cicero, De officiis, I, 4.

61) Cicero, De officiis, I, 23; cf. I, 30: ubi recte ac bene de eadem re sic disseritur: Atque etiam, si considerare volumus, quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intellegemus, quam sit turpe diffuere luxuria et delicate ac molliter vivere quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie.

62) Cohortatio X, pag. 205: *Τίς γάρ, ὃ πρὸς τῆς ἀληθείας, σωφρονῶν γε, τὰγαθὸν καταλείπων κακίᾳ σνέστιν.*

63) Coh. X, pag. 216 . . . *Πέφυκε γὰρ ἄλλως ὁ ἄνθρωπος οἰκείως ἔχει πρὸς Θεόν.*

64) Coh. X, pag. 201 sq.

gionem, rejiciat, hunc in modum admonet eos atque excitat: ⁶⁵⁾ „Cur non etiam (ut in aliis rebus prudens quisque se convertit ab statu imperto et a malo ad bonum, a deteriore ad melius) in vita, ex hac flagitiosa, perturbata affectibus atque impia consuetudine ad veritatem patribus licet ringentibus deflectemus; et rejecta, tamquam mortifero veneno, consuetudine, verum patrem quaeremus? Nam a nobis quidem nihil pulchrius aut praeclarius suscipi potest, quam si vobis ostenderimus, hanc insanam ac plane miserrimam consuetudinem esse verae pietati inimicissimam.“ Et similiter: ⁶⁶⁾ „Agamus ergo poenitentiam, et ab ignoratione transeamus ad scientiam, ab imprudentia ad prudentiam, ab intemperantia ad temperantiam, ab injustitia ad justitiam, ab impietate ad Deum.“

6. Verum est, argumentationem Clementis hanc apologeticam atque cohortationem, quam hucusque explicavimus, prorsus aptam esse, quae ethnicis rationem velut ducem ac magistram sequentibus persuadeat, evidenter credibilem ac veram esse doctrinam christianam et omnino accipiendam. Attamen in hac demonstratione, si eam juxta apologeticae normas quae nostra aetate sunt in usu, aestimes, certe quaedam desiderabis et, aliene Clemens motiva credibilitatis noverit ad probandamque fidem christianam alia argumenta afferat, quaeres. Et sane quidem. Non enim ignorat Clemens, praeter ea quae ab ipso sumpta supra jam vidimus, motiva credibilitatis etiam alia esse quae partim doctrinae christianae insunt et intrinseca vocantur criteria, partim eam comitantur et extrinseca dicuntur quaeque omnia, ut ait s. Thomas, ⁶⁷⁾ quamvis non probent fidem per se, probant tamen veritatem annuntiantis fidem. Sed his quomodo Clemens utatur jam inquiremus.

Quoniam Clementis maximi refert, ut ethnici Christo Domino credant, ipsi in eo summa ponenda est opera, ut, quis Christus sit et cur ei credendum, demonstrat. Quare eos sic alloquitur: ⁶⁸⁾ „Placetne, ut quod maxime vobis expediat, consilium exponam? Vos igitur attendite; ego autem clare, pro meis viribus, exhibebo Quod si agnita virtutum manifesta fide, obtemperare volueritis, ex abundantia vobis afferam, quae ad eliciendum vestrum consensum a Verbo suppeditata sunt.“

Et abunde Clemens scite diserteque disputat de Christo; nec immerito; nam et auctor et summa caputque doctrinae christianae est Christus ipse. Itaque quis sit Christus, quid doceat, quid fecerit, hae sunt quaestiones, in quibus Clemens, ut ethnicis veritatem fidei christianae probet, potissimum versetur necesse est. In hac vero disputatione apologetica cum motiva credibilitatis, quibus ethnici ad fidem christianam perducantur, Clemens eruit explicatque, sejungit quaestiones illas tres, sed plerumque eas connectit ita ut, quid demonstrandum sit et quid demonstrat rem, illi dignoscant et argumentationi assentiri quasi cogantur.

Atque de Christo, si, quis sit in se, quaeritur, sic docet Clemens: ⁶⁹⁾ . . in principio erat Verbum . . . Hoc igitur Verbum Christus . . jam nuper hominibus apparuit, qui solus uterque, Deus et homo est;“ et paulo interius: ⁷⁰⁾ „Novum ergo canticum est Verbi, quod in principio et ante principium fuit, exortus, qui modo nobis effulsit; modo enim apparuit,

65) Coh. X, pag. 201.

66) Coh. X, pag. 205.

67) In III. Sent. dist. XXIV, a. 2 ad 4.

68) Coh. X, pag. 209.

69) Coh. I, pag. 61. *Ὁδῖος γοῦν ὁ Λόγος ὁ Χριστὸς . . . (ἦν γὰρ ἐν Θεῷ) . . νῦν δὲ ἐπεφάνη ἀνθρώποις αὐτὸς οὗτος ὁ Λόγος, ὁ μόνος ἀμφω, Θεός τε καὶ ἄνθρωπος.*

70) L. c. . . . *ἐπεφάνη ὁ ἐν τῷ ὄντι ὢν, ὅτι ὁ Λόγος, ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεόν· Διδάσκαλος ἐπεφάνη.*

qui olim erat, Servator; apparuit, qui ens est in ente; Verbum nempe, quod apud Deum erat et a quo facta sunt omnia, Praeceptoris habitu apparuit.“ Similiter alio loco: ⁷¹⁾ „Est enim imago Dei, ejus Verbum: Mentis nempe germanus filius, divinum Verbum, lucis archetypha lux.“ Eodem modo Christi divina et humana natura laudatur atque praedicatur his verbis, ⁷²⁾ quibus incitat Clemens ethnicos ad credendum: „Crede, homo, homini et Deo. Crede, homo, Deo viventi, qui passus est et adoratur. Credite, servi mortuo. Credite ei, universi homines, qui solus est Deus ex universis hominibus.“

Sed haec de Christo doctrina, quam a Clemente ex s. Scriptura desumptam esse apparet, si non immerito magis dogmatica quam apologetica appellatur, quibus de causis credibilis sit aequae ac Christi doctrina universa, vere apologetice jam inquit et exponit accuratius Clemens. Permagnum quidem argumentum, ex quo doctrinae christianae credibilitatem Clemens deducit et ethnicis demonstrat, consistit in eo, quod doctrina Christi omnibus hominibus pervia est et annuntiatur: ⁷³⁾ „Nam ad cognitionem Dei contendentibus nihil est, quod moram et impedimentum inferre possit; non sane orbitas liberorum, non paupertas, non obscuritas nominis, non egestas. Neque quis piam veram sapientiam aere ferrove excisam optat commutare; hanc enim rebus universis longe praefert, Christus est ubique salutaris.“ Hoc alio loco Clemens Apostoli verbis usus sic exprimit: ⁷⁴⁾ „Abeo recte vivere edocti ad aeternam vitam transmittimur. Nam ut ait ille divinus domini Apostolus: Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos. . .“ Disertissime vero disserit Clemens de eodem hoc motivo credibilitatis, cum comparat Christi doctrinam et ea quae ex hac in universum genus humanum redundarunt bona, cum philosophia ethnicorum. „O“, ait, ⁷⁵⁾ „mirabile mysterium! Succubuit quidem Dominus, homo autem surrexit; et qui cecidit ex paradiso, majus obedientiae praemium, coelum accipit. Quamobrem, ut mihi videtur, cum ipsum Verbum ad nos venit coelitus, non sunt nobis amplius frequentandae hominum scholae. nec Athenae, reliquave Graecia, aut etiam Jonia studiorum causa adeundae. Nam si hoc utamur magistro, qui sanctis virtutibus, opificio, salute, beneficio, legislatione, vaticinio, doctrina, complevit omnia; nulla est doctrina, quam is non tradit, ipsique, hoc est Verbo, universus jam orbis terrarum Athenae atque Graecia factus est.“ Quod autem ex hac doctrinae et religionis christianae excellentia ac sanctitate Clemens efficit, hunc in modum proponit ethnicis: ⁷⁶⁾ „Vobis enim, qui poeticae fabulae credidistis, Minoem Cretensem familiari Jovis consuetudine usum fuisse, difficile non erit, nos Dei factos discipulos, veram sapientiam suscepisse; eam nempe, quam philosophorum

71) Coh. X, pag. 117 sq. *Ἡ μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ ἐργῶν ὁ Λόγος αὐτοῦ καὶ υἱὸς τοῦ Νοῦ γνήσιος, ὁ θεῖος Λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς.*

72) Coh. X, p. 224.

73) Coh. X, pag. 121 loco verbi, *ἀπαιδία* (orbitas liberorum) quod legitur apud Migne, ponendum esse *ἀπαιδευσία* jure suspicari mihi videtur Dr. Hopfenmueller („Ausgewählte Schriften des T. Fl. Clemens aus dem Urtexte übersetzt“. S. 195, 1). „Ich vermute, ait auctor, *ἀπαιδευσία*, indem die drei Buchstaben *ευσ* durch Unachtsamkeit der Abschreiber ausgefallen sind. Denn Kinderlosigkeit dürfte wohl nicht leicht jemand als Hindernis der Erkenntnis Gottes ansehen, wohl aber Mangel an Bildung.“ *Ὁ Χριστός ἐστὶ πανταχοῦ σωτήριος.*

74) Coh. I, pag. 61.

75) Coh. XI, pag. 228: . . . *πάντα νῦν ὁ διδάσκαλος κατηγεῖ καὶ τὸ πᾶν ἤδη Ἀθῆναι καὶ Ἑλλάς γέγωνε τῷ Λόγῳ.* Cf. Coh. X, pag. 228.

76) L. c. . . *τὴν ὄντως ἀληθῆ σοφίαν . . . οὐδ' ἦν φιλοσοφίας ἄκροι μόνον, ἠμίξαντο, οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ καὶ κατελήφασιν καὶ ἀνεκήρυξαν.*

principes tantum obscure innuerunt, tum etiam praedicarunt.“ His expositis Clemens iterum illustrat religionis Christianae universalitatem, quam vocant, quae quidem res, ethnicis antea inexaudita, at in omni genere disquisita atque explanata non parvum addit augmentum credibilitatis doctrinae christianae. Pergit igitur Clemens sic: ⁷⁷⁾ „Atque adeo in toto, ut ita dicam, Christo nulla est partitio, nullum est discrimen: non enim ille barbarus est, nec Judaeus nec Graecus; non mas nec femina; sed novus homo (Ephes. 4,24). sancto Dei Spiritu transformatus.“ Ut autem doctrina christiana data est omnibus populis, sic ejus universalitas pertinet ad omnes hominum conditiones et vitae rationes. Audiamus quomodo de hac quoque re doceat Clemens. „Porro autem“, ait, ⁷⁸⁾ „caetera consilia ac praecepta sunt quidem exilia et de rebus singularibus agunt . . . sola autem ea, quae ad pietatem suadet, exhortatio generalis est, sola ad universam vitae rationem pertinet et nullo non tempore atque casu ad extremum finem, vitam nempe, dirigit.“ Juvat hic, opinor, animadvertere etiam discrimen, quod Clemens philosophiam inter et Christi doctrinam inveniri confirmat. „Ac philosophia quidem“, inquit, ⁷⁹⁾ „ut veteres dicunt, est diuturna admonitio, quae perpetuum sapientiae amorem conciliat: praeceptum vero Domini lucidum est, illuminans oculos.“

Aliud motivum, quod reddit doctrinam christianam admodum credibilem magnamque e sententia Clementis vim habet ad ethnicos religioni christianae conciliandos, habenda est celerrima ejusdem religionis propagatio. „Caeterum“, ait Clemens, ⁸⁰⁾ „potentia Dei incredibili celeritate et benevolentia, ad quam omnibus facilis patebat aditus, orbi terrarum illucens, salutari semine universum complevit. Nec enim tam exiguo temporis spatio tantum opus absque divina Providentia perfecit Dominus, cui specie tenus despectus, re ipsa adoratus est, expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum, verus sine controversia Deus, cum Domino totius universitatis adaequatus, quoniam ejus filius erat, et Verbum erat in Deo: neque cum primum praedicatus nullam impetravit fidem . . . Cum autem sole celerius, ex ipsa Patris voluntate ortus esset, maxima celeritate ad universos homines delatus, facillime fecit, ut Deus nobis illucesceret.“ Ut hinc patet, Clemens, cui attribuit causam admirabilis fidei christianae propagationis, eum simpliciter dicit esse Verbum divinum, Dominum. Sed in hoc non est falsum. Clemens enim effectum statim vel, ut ita dicam, immediate reducit ad causam adaequatam, quae nulla est nisi Dominus. Solum modo formam argumentationis vel conclusionis strictam desideras; quod vult demonstrare, e re ipsa, quam nemo potest negare, manifestum est.

Ex iis quae adhuc disputavimus licet intellegi, Clementem, ut ethnicis doctrinam christianam esse credibilem ostendat, hic illic saltem significare vel obiter monstrare, quot quantaque bona ex religione christiana generi humano emanaverint. Et cum nonnullis locis Clemens copiosius agat de eximiis illis quae e fide christiana profluxerunt bonis, hinc quoque novum ac permagnum nascitur motivum, quo ethnici ad religionem christianam amplectendam ad baptismaque suscipiendum incitentur atque perducantur. De singulis ejusmodi locis ut pauca dicamus, adhuc est reliquum postulatque ordo quaestionis nostrae.

77) L. c.

78) L. c. . . . καθολική δὲ ἄρα προτροπή μόνη καὶ πρὸς ὅλον δηλαδὴ τὸν βίον, ἐν παντὶ καιρῷ, ἐν πάσῃ περιστάσει πρὸς τὸ κυριώτατον τέλος, τὴν ζωὴν, συντείνουσα, ἢ θεοσέβεια . . .

79) l. c. Cf. Cic. De off. I. 5.

80) Coh. X, pag. 228, τάχει μὲν δὴ ἀνπερβλήτῳ εὐνοίᾳ τε εὐπροσίτῳ ἢ δύναμει ἢ θεϊκῇ ἐπιλάμψασα τῇ γῆ, σωτηρίου οὐράματος ἐνέπλησε τὸ πᾶν. Οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τόσούτον ἔργον ἄνευ θείας κηδεμονίας ἐξήρυσεν ὁ Κύριος . . .

Comparans Clemens cum ethnicorum poetis, qui carminibus suis mira quaedam perfecisse dicuntur, revera autem „illam pulchram libertatem hominum . . . extremae servituti illigarunt“, ⁸¹⁾ Christum Dominum, cantorem suum, laudat ejusdem canticum, quod est doctrina ejus coelestis sive evangelium. „En“, ait, ⁸²⁾ „quantam habet vim illud novum canticum, quod homines ex lapidibus, homines ex feris formavit; quin et ii, qui alioquin veluti mortui fuerunt, upote illa, quae sola vera est vita, privati, audito hoc cantico, statim revixerunt. Hoc et universitatem rerum apteque numeroseque concinnavit, et elementa dissonantia sic docuit servare concentum, ut totus hic mundus harmonia quadam constaret.“ Alio loco ⁸³⁾ Christum propter ejus opus et fructus hujus operis appellat „coeleste Verbum, ob legitimi certaminis victoriam in theatro totius mundi coronatum“. Et causa, cur coelestis ille cantus „immanissimas feras“ i. e. rapaces homines, „et hujusmodi lapides in mansuetos homines transformavit“, in eo est posita, quod „dulce quoddam et in animis hominum potens pharmacum cum hoc cantico commistum est“. ⁸⁴⁾

Sanctitas vero et amor erga Deum et homines, quae virtutes in christianis maxime effulgentes splendore ac pulchritudine sua admirationem ethnicorum excitant, unde capiant originem quibusque rebus enuntriantur atque augeantur et perficiantur, accuratius et uberius hisce exponit verbis: ⁸⁵⁾ „O! sanctam et beatam hanc potentiam, per quam Deus cum hominibus versatur. Praestat igitur optimae ac praestantissimae naturae imitorem simul et cultorem fieri. Nullo enim alio modo imitari Deum licet, nisi sancte eum colendo; nec colere ac venerari, nisi imitando. Coelestis itaque ac vere divinus amor tum conciliatur hominibus, cum in ipsa anima vera pulchritudo a Verbo divino excitata effulserit. Quod vero maximum est, cum libera electione eodem, ut ita dicam, iugo pendet.“ Quo haec spectet cohortatio quidque poscat ab ethnicis haec argumentatio, satis illi ipsi haud dubie intellexerunt nec non Clemens expressis verbis iis in mentem revocat. Sic enim concludit: ⁸⁶⁾ „Proinde sola haec veritatis cohortatio est, quae perinde ac fidelissimi amicorum, ad extremum usque halitum nobiscum permanet; et si quis ad coelum tendit, integro perfectoque animae spiritui optima dux est. Ad quid autem te hortor? Sane ut salvus fias. Hoc vult Christus: et ut uno dicam verbo, vitam tibi largitur.“ Atque ut, quod multimodis demonstratum est, etiam magis eluceat animique ethnicorum Christo plane conciliantur conciliatique maneant, Clemens repetens quaestionem, quis Christus sit, omnia quae Christus nobis comparavit bona, uno in conspectu ponit. „Ille vero quis est? paucis accipe: Verbum veritatis, Verbum immunitatis ab interitu, quod hominem regenerat, eum reducendo ad veritatem; salutis stimulus, qui abigit interitum, qui mortem expellit, qui in hominibus templum aedificavit, ut Deum in ipsis statueret.“

81) Coh. I, pag. 56 . . . και μὴν λίθοις καὶ ξύλοις, τουτέστιν ἀγάλμασι καὶ σκιαγραφίαις ἀνοικοδομησαὶ τὴν σκαιοτήτα τοῦ ἔθνους τὴν καλὴν ὄντως ἐκείνην ἐλευθερίαν τῶν ἐπ' οὐρανὸν πεπολιτευμένων ἡδαιῖς καὶ ἐπρωδαῖς ἐσχάτη δουλεία καταξεδύσαντες. . .

82) Coh. I, pag. 57.

83) Coh. I, pag. 55.

84) Coh. I, pag. 56.

85) Coh. XI, pag. 236. Ὡ τῆς ἁγίας καὶ μακαρίας ταύτης δυνάμεως, δι' ἧς ἀνθρώποις συμπολιτεύεται Θεός. Ἀλώϊον οὖν καὶ ἄμεινον, τῆς ἀρίστης τῶν ὄντων οὐσίας μιμητὴν ὁμοῦ καὶ θεραπευτὴν γενέσθαι: οὐ γὰρ μιμῆσθαι τις δυνήσεται τὸν Θεόν, ἢ δι' ὧν ὁσίως θεραπεύσει· οὐδ' ἂν θεραπεύειν καὶ σέβειν, ἢ μιμούμενος. . . .

86) Coh. XI, pag. 236 sq.

Vere satis Clemens mihi demonstrasse videtur, „bonam esse universam hominum vitam, qui Christum cognoverunt“, ⁸⁷⁾ immo verum esse quod sic eloquitur: ⁸⁸⁾ „Per quem (i. e. Christum), ut ita dicam, rerum universitas effecta est pelagus bonorum.“ Unde simul apparet, hac demonstratione sua Clementem ethnicis novum credibilitatis motivum indicasse semitamque ad fidem christianam aperuisse, ita ut fides eorum „obsequium rationabile“ sit (Rom. 12,1).

Denique forsitan quaerat quispiam, etiamne Clemens ex criteriis externis veritatem et certitudinem religionis christianae demonstraverit. Et respondendum: Sane quidem ita. Concedendum quidem est, Clementem minus in explicandis et adhibendis criteriis externis versari, sed non quod non his aequae magnam probandi vim attribuat, sed quod ad ethnicos imprimisque philosophos docendos ac permovendos criteria interna et quae de effectibus fidei christianae petita sunt, externis aptiora et validiora habet.

Quemadmodum autem Evangelista Christi miracula ad ejus divinitatem, magnitudinem, excellentiam probandam affert, ita et Clemens ut cantatoris sui dignitatem divinam recte planeque ethnicis ostendat illustretque, enumerat plura ejus signa et prodigia. En ejus verba: ⁸⁹⁾ „Ipse (Christus“, ait, „supramundana sapientia, coelesteque Verbum, est instrumentum Dei numeris omnibus instructum, concinnum et sanctum. Quid ergo instrumentum hoc, Dominus Dei Verbum, quid illud novum canticum volunt? Caecis visum restituere, surdis aures aperire et claudos atque errantes in viam justitiae deducere . . . mortem vincere.“

Quae verba evangelica, etiamsi ea a Clemente allegorice intellegi non negamus, in sensu tamen simul verbali vel literali quin ab eo sumantur, non dubium esse potest. Sed maxime, quanti Clemens miracula Christi ut motivum credibilitatis ducat, ex his ejus verbis ⁹⁰⁾ colliges: „Undenam ipse (i. e. Christus) et quis esset, doctrina atque editis a se miraculis ostendens, foederis conciliator et pacificator, Servator noster, Verbum, fons vitalis, pacificus, per universam terrae faciem diffusus.“

7. Qua via ac ratione Clemens, clarissimus ille philosophus et Apologeta, ethnicos ad religionem christianam adducere studuerit, satis expositum videtur. Sed rectene id fecerit atque absolverit, hoc maxime quaeritur. Sunt enim qui accusent Clementem, quod plus justo philosophiae Graecorum indulserit eique nimis adhaeserit, decreta et dogmata philosophiae istius desumpta cum doctrina christiana commiscuerit, religionem christianam foedaverit aut corruerit. Exempli gratia H. Kutter sic judicat: ⁹¹⁾ „Spricht Klemens von dem Spezifischen des Christentums im Unterschiede mit der Philosophie, so weiß er nichts anderes hervorzuheben als die historische Erscheinung des Logos, ein schlechterdings für das Verständnis des Heidentums unverständliches Faktum.“ Et iterum: ⁹²⁾ „Indem er der Strömung seiner Zeit auf ihr eigenes Terrain folgte, um sie dort zu schlagen, wurde er

87) Coh. XII, pag. 245 . . . *χρησιτὸς ὁ σύμπας ἀνθρώπων βίος τῶν Χριστῶν ἐγνωκότων.*

88) Coh. XII, 227 . . . *δ' ὄν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὰ πάντα ἤδη πέλαγος γέγονεν ἀγαθῶν.* Juvat comparandi causa hic afferre praedarum illud: „Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe mirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile“, Vatican. De fid. cath. cap. III.

89) Coh. I, pag. 60.

90) Coh. X, pag. 228. . . *Ὅθεν τε ἦν αὐτὸς καὶ ὅς ἦν δι' ὧν ἐδίδαξε καὶ ἐνεδείξατο, παραστησάμενος, ὁ σπονδοφόρος καὶ διαλλακτὴς, καὶ Σωτὴρ ἡμῶν Λόγος, πηγὴ ζωοποιός. . .*

91) Schweizerische Theologische Zeitschrift (Bisherige Theologische Zeitschrift aus der Schweiz), redigiert von Friedrich Meili. Zürich. 1899, XVI. Jahrg., 3. Heft, S. 132.

92) L. c. pag. 134.


selbst der Geschlagene. Indem er die Waffen zur Ueberwindung des Heidentums in dessen eigener Rüstkammer entlehnte, konnte es nicht anders geschehen, als daß sie ihn selbst überwandten.“ Quam vehementer H. Kutter erret, satis ex argumentatione mea elucebit, et confirmatur a De Faye, qui, quamvis non in omnibus aliis rebus recte de Clemente iudicet, ⁹³⁾ bene haec scribit: ⁹⁴⁾ „Què donc saisira-t-on dans une plus grande pureté l'accent de sa foi? . . . La condition de chrétien lui paraît infiniment supérieur à toute autre. Elle lui inspire un enthousiasme sans bornes“. Ad refutandum autem ea, quae H. Kutter dicit de Clementis methodo argumentandi, satis conducit ejusdem auctoris de Faye sententia haec: ⁹⁵⁾ „Montrez-nous tant que vous voudrez, l'influence de la philosophie dans la forme de sa pensée comme dans les formules de son langage, mais reconnaissez que le fond des sentiments et de l'inspiration intime ne sont aucunement d'un philosophe grec.“

Manet igitur, Clementem methodum quidem argumentationis, qua in „Cohortatione ad Gentes“ usus ethnicos imprimisque philosophos ad religionem christianam adducere studeat, adaptare accommodareque ad rationem docendi tempore illo in philosophorum Graecorum scholis vigentem, doctrinam vero christianam et praesertim eam quae de Verbo agit, totam servare integram. Haec autem ejus argumentatio, ut aliquid falsi habeat, tantum abest, ut laude et imitatione digna prorsus habenda videatur.

93) Cf. Ehrhard: Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung 1884—1900. I. Abt. Die vornicänische Literatur. Pag. 317.

94) Clement d'Alexandrie. Étude sur les rapports du christianisme et de la philosophie grecque au IIe siècle, pag. 61.

95) L. c. pag. 63.



II. Vorlesungen

A. Theologische Fakultät.

Dr. Hugo Koch, o. ö. Professor, z. Z. Pro-Dekan.

1. Kirchengeschichte des Altertums, viermal wöchentlich, Dienstag bis Freitag 8—9 Uhr.
2. Kirchengeschichte des neunzehnten Jahrhunderts, einmal wöchentlich, Dienstag 5—6 Uhr.
3. Kirchengeschichtliche Uebungen, Lektüre ausgewählter Martyrerakten, einmal wöchentlich, Donnerstag 5—6 Uhr.

Dr. Anton Kranich, o. ö. Professor.

1. Apologetik, Fortsetzung und Schluß, wöchentlich zweimal, Montag und Freitag 8—9 Uhr.
2. Dogmatik, Erlösungslehre und Sakramentenlehre, wöchentlich fünfmal, Montag bis Freitag 9—10 Uhr.
3. Dogmatische Repetitionen und Uebungen, einmal wöchentlich in noch zu bestimmender Stunde.

Dr. Josef Kolberg, o. ö. Professor.

Beurlaubt.

Dr. Alfons Schulz, o. ö. Professor.

1. Erklärung der Genesis, dreimal wöchentlich, Dienstag bis Donnerstag 11—12 Uhr.
2. Einleitung in das Alte Testament II, zweimal wöchentlich, Dienstag und Freitag 5—6 Uhr.
3. Hebräische Grammatik, zweimal wöchentlich, Dienstag und Freitag 6—7 Uhr.
4. Assyrisch III, einmal wöchentlich zu einer noch zu bestimmenden Stunde.

Dr. Julius Marquardt, o. Honorarprofessor.

Wird nicht lesen.

Dr. Max Meinertz, ao. ö. Professor.

1. Erklärung des Johannesevangeliums, dreimal wöchentlich, Montag, Dienstag und Mittwoch 10—11 Uhr.
2. Neutestamentliche Uebungen, einmal wöchentlich, Montag 11—12 Uhr.

Dr. Bernhard Gigalski, Privatdozent.

1. Patrologie (Die Apologeten), einmal wöchentlich, Sonnabend 11—12 Uhr.
2. Leben Jesu II. Teil, zweimal wöchentlich, Montag und Donnerstag 6—7 Uhr.

B. Philosophische Fakultät.

Dr. Franz Niedenzu, o. ö. Professor, z. Z. Dekan.

1. Allgemeine Botanik, Dienstag, Mittwoch und Donnerstag 8—9 Uhr.
2. Pflanzenanatomische mikroskopische Uebungen 10—11 Uhr.
3. Astronomie, Sonnabend 8—9 Uhr.
4. Mineralogie, Donnerstag 11—12 Uhr.

Dr. Wilhelm Weissbrodt, o. ö. Professor, Geh. Reg.-Rat.

1. Tertullians Apologie, wöchentlich zweimal 10—11 Uhr.
2. Christliche Epigraphik, einmal 10—11 Uhr.
3. Antike Kunst, zweimal 10—11 Uhr.

Dr. Victor Röhrich, o. ö. Professor.

1. Ermländische Geschichte, (Zweiter Teil), wöchentlich zweimal 11—12 Uhr.
2. Allgemeine Geschichte seit 1789, wöchentlich zweimal 11—12 Uhr.
3. Geschichte der deutschen Literatur im 19. Jahrhundert (Fortsetzung) wöchentlich einmal in einer noch zu bestimmenden Stunde.

Dr. Wladislaus Switalski, o. ö. Professor.

1. Logik II., (Methoden- und Erkenntnislehre), zweimal wöchentlich 9—10 Uhr.
2. Ontologie, dreimal wöchentlich 9—10 Uhr
3. Philosophische Übungen, (im Anschluss an Aristoteles' Metaphysik), einmal wöchentlich von 9—10 Uhr.


4. Pädagogische Übungen, in noch zu bestimmender Stunde.
5. Philosophische Strömungen seit 1850, (für Fortgeschrittene) einmal wöchentlich in einer noch zu bestimmenden Stunde.

Professor Martin Switalski, Lektor der polnischen Sprache.

1. Konrad Wallenrod von A. Mickiewicz. Mittwoch 4—5 Uhr.
2. Übersetzung aus dem Deutschen, grammatische Unterweisungen und Sprechübungen. Montag und Donnerstag 4—5 Uhr.

III. Institute.

- I. Die **Bibliothek**, für die Studierenden Dienstag und Freitag von 1—3 Uhr geöffnet
Vorsteher: **Prof. Dr. Kolberg.**
- II. Das **naturwissenschaftliche Kabinett**, Vorsteher: **Prof. Dr. Niedenzu.**
- III. Das **Antik-archäologische Kabinett**, Vorsteher: **Prof. Dr. Weissbrodt.**
- VI. Das **Christlich-archäologische Kabinett**, Vorsteher: **Prof. Dr. Kolberg.**
- V. Der **Botanische Garten**, Leiter: **Prof. Dr. Niedenzu.**
- VI. Die **Numismatische Sammlung**, Vorsteher: **Prof. Dr. Weissbrodt** und **Prof. Dr. Röhrich.**



03824